

byterii inter quatuor columnas divisum, ac disjunctum a parietibus omni in parte, nec non super nonnullis gradibus elevatum reperiatur; Celebrantes proinde, prout decebat ac in omnibus Altaribus hujusmodi qualitatum mos est, semper in eodem Populum versus et partem inferiorem Ecclesiae praedictae *Dominus vobiscum* dicere consuevere. Cumque occasione novae constructionis ejusdem Ecclesiae a solo usque ad tectum nuper constructo pariete per duos vel tres palmos circiter ab Altari praedicto distante ita inferior pars Ecclesiae praedictae perfecta remanserit, ut Christifideles Sacrum audituri omnino debeant in Presbyterio convenire; Parochus S. Eustachii praedicti S. R. C. humiliter supplicavit declarari: An a Celebrantibus in Altari majori praedicto de praesenti in casu proposito Chorum versus, et sic populum versus, vel potius partem Ecclesiae inferiorem a pariete nuper constructo prorsus perfectam, sit *Dominus vobiscum* dicendum?

Et S. eadem R. C., referente Emo. et Rmo. D. Card. de Carpineo, censuit respondendum: Chorum versus. Et ita declaravit. n. 3608 die 3. Dec. 1701.

2) Ad benedict. cum SSmo.

Vd.: *Minorista* (ut hebdomada.)

In festo SS. Corp. Chr. in reponendo SSmo. servandum est Caerem. Ep. Lib. II. c. XXXIII. ubi nulla fit mentio de versu „*Dom. vobisc.*“ sed jubetur tantum post V. et R., cantari orationem. Et sic servat in Urbe SS. Dominus N., observatur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant. n. 2223 ad 7 die 16. Junii 1663; n. 2752 die 28. Sept. 1675.

In benedictione SSmi. ante Orationem non debet dici: *Dominus vobis-*

cum. In festo ss. Corp. Chr. servanda est dispositio Caer. Ep. lib. II. c. 33. de reponendo SSmo. ubi nulla fit mentio de V.: *Dom. vob.*, non vero Rituale rom., ubi dicitur addi: *Dom. vob.* Et sic servat in Urbe SS. PP. et servatur ab omnibus. n. 4299 ad 7 die 3. Mart. 1761.

Instructio Clem. §. XXIV. n. 22 etc. §. XXXI. n. 4 etc. 16.

DUPLEX.

1) Dignitas.

Cf.: *Festum* (Dignitas); *Festum* (ind. et mut.); *Ritus Off.* (mut.); *Ritus festorum*.

Festa duplicia, quae coluntur a populo de praecepto, retinent eundem ritum, quem alias habent, seclusa hac qualitate praecepti, nec sunt duplicis majoris; qualitas festivitatis non est ratio, quod vesperae dicantur integrae de tali festo, nisi hoc festum fruatur simul qualitate vel majoris dignitatis vel altioris ritus. n. 4119 ad 3 die 2. Sept. 1741.

Usus celebrandi quam plura festa sub ritu dupl. maj. ex eo, quia sunt celebria in populo, suslineri non potest. S. R. C. 22. Aug. 1744.

2) Majus de praecepto.

Festum dupl. majus de praecepto est illud, in quo occurrit Officium recitandum sub ritu dupl. majori, cuique a legitimo Superiore adnexum est praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus. n. 4244 ad 5 die 11. Maji 1754.

3) Minus.

(*Commemor.*)

Vd.: *Semidupl.* (Commemor. decr. n. 4378).

4) Translatio.

Vd.: *Translatio festi dupl.*

E.

ECCE AGNUS DEI.

(*In communionem Fidelium*).

Vd.: *Communio* (Qua lingua etc.)

ECCE SACERDOS MAGNUS.

Ad dubium: An antiphona: „*Ecce Sacerdos magnus*“ quae dici debet ex dispositione Pontificalis rom. in ingressu et receptione Praelatorum in suis civitatibus, debeat repeti toties, quoties iidem Praelati ingrediuntur Cathedrali ad actus pontif. peragendos? S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4140 ad 2 die 11. Maji 1743.

ECCLESIA.

1) Benedicta.

Missa.

In missa de Eccles. non consecrata omititur *Parenthesis Secretae*; vd.: *Dedicatio Ecclesiarum Omn. etc.* (decr. n. 4749). *Titul. Eccl. bened.*

h) Num Officium anniv. dici potest?

Cf.: *Dedicatio Ecclesiae et dies incerta*; *Dedicatio Eccles.* (non celebranda)

Ad dubium: An omisso Officio Dedicacionis Cathedralis Astoricensis, possit illud Collegiatae Oppidi Villafraanca celebrari, cujus templum tantum *benedictum* esse memoria constat, cum vetus perierit igne absumptum? S. C. resp.: Negative. n. 4542 ed 6 die 30. Sept. 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Capitulum, quod nullius est Diocesis, solemniter celebrare debet dumtaxat anniversariam diem Consecrationis propriae Ecclesiae, dummodo tamen indubia documenta evincant, eandem certo consecratam fuisse. Unum quippe satis est dubium, ne Officium de De-

dicacione fiat. Ita respondit S. R. C. in Alexandrina 18. Aug. 1629: *Non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiae, quam certum est, non fuisse consecratam, imo neque si est dubium. Igitur si vel simplex dubitandi ratio satis est, ne Dedicacionis Officium recitetur, multo minus peragi Anniversarium poterit, si certum est, Ecclesiam simplici Benedictione, non autem Pontificalibus ad divinum cultum et Sacrorum usum fuisse deputatam. Ad rem facit alterum Decretum in Taurinen die 21. Martii 1795 scilicet: non debere Officium peragi Dedicacionis propriae Ecclesiae, quae non est consecrata. Neque prodest, quod nova Ecclesia suffecta fuerit Templo solemniter ritu consecrato, sed igne consumpto: Etenim recolenda non est memoria Dedicacionis illius Ecclesiae, quae vel amplius non extat, vel temporis injuria ob aliquod infortunium magna in parte dejecta aut consumpta, consecrationis decus amisit. Videri possunt Decreta in una *Hollandiae* 2. Julii 1685, et in alia *Nullius Balneariae* 15. Sept. 1815, ac praeterea *Cavalerius* tom. 1. cap. 1. Decret. 4. circa finem, et *Tetamus* in Appendice ad Diarium cap. 4. num. 5.*

2) Benedictio.

Vd.: *Benedictio Oratorii et Ecclesiae*; *Benedictio* (delegatio, decr. n. 4307).

3) Cathedralis.

Clerus ejusdem Ecclesiae, vd.: *Clerus Ecclesiae Cathedr.*; *Patron.*, *Titul. Cath.*

4) Collegiata.

(*Erectio et Confirmatio.*)

Vd.: *Canonici Ecclesiae Collegiatae* (Erectio etc.)

5) Exempta.

Vd.: *Episcopus* (Ecclesia exempta); *Cruz archiepiscop.*

6) Filialis.

De ejusdem Titul. et Dedicacione
Vd.: *Dedicatio Oratorii; Functiones*
(in Ecclesia filiali). Cf.: *Aspersio aquae;*
Expositio SSmi.; Titularis Capellar.

7) Fores.

Apertis foribus possitne impertiri
benedictio cum SSmo.? Vd.: *Benedictio cum SSmo.* (janua aperta.)

8) Matrix.

Episcopo volenti erigere aliquam ex
Ecclesiis dissitis in matricem, ubi fiat
benedictio fontis et distributio novorum
ss. Oleorum S. C. resp.: Fiat
expeditio Romae, quia Episcopus de
jure comm. non potest allerare statum
Ecclesiarum. n. 113 die 9. Mart. 1597.

9) Polluta.

Cf.: *Reconcil. Eccles.*

Ecclesia polluta non dicitur reconciliata
per celebrationem missae et ideo debet
reconciliari juxta Pontificale. n. 1001 ad 2 die 19. Augusti 1634.

Si Episcopus ob legitimam causam
concesserit celebrari missam in Ecclesia
polluta, causa illa cessante, Ecclesia
reconciliari debet. n. 1521 ad 1 die 26. Novb. 1644.

Quid agendum in dubio Ecclesiae
Cathedralis pollutae et in dubio illius
reconciliationis rite vel non rite factae?
S. C. resp.: Ad mentem; et mens est,
quod facto verbo cum SSmo. scribatur
Episcopo, non esse amplius de hac
re inquirendum. n. 4506 ad 4 die 11. Julii 1807.

Quis benedicit Ecclesiam pollutam?

Vd.: *Bened.* (deleg. decr. n. 4307)

10) Porta.

Non concedatur porta alicui laico
absque Ind. apost., per quam privatus
in ecclesiam transitus habeatur, etsi
domus eorundem domibus parochorum
contiguae sint, per quas accessus in
ecclesias pateat. S. C. Ep. 17. Febr. 1619.

11) Quae est Ecclesia?

Vd.: *Titularis Capellar.* (decr. n. 5215.)

ELECTIO ET CONSECRATIO SS. PONTIF.

(*Commem. diei annivers.*)

Ad dubium: An in diebus anniversariis electionis et consecrationis Summi Pontificis Collecta in Missa adjungenda pro Eodem sit de praeccepto?

Emi. itaque ac Rmi. . . . rescribendum censuerunt:
„Affirmative“.

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 11 die 12. Martii 1836.

ELEEMOSYNA.

1) Collectio in Ecclesia.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXVIII.* n. 1 etc.

2) Pro funeribus.

Vd.: *Quarta funeral.*

Ad dubium: An et in qua summa sit praestanda eleemosyna per homines Communitatum Pelusii et Barnae Archipresbytero et Canonicis Menasii vocatis ad associationem alicujus cadaveris tumulandi in Ecclesiis paroch. diclarum communitatum? S. C. resp.: Praestandam esse summam conventam in Instrumento separationis.

Pro eadem eleemosyna praestanda pro associatione cadaveris non tenen-

tur Archipresbyteri et Canonici interesse celebrationi missae aliisque Officiis def. super cadavere agendis. n. 3420 ad 1 et 2 die 27. Aprilis 1697.

Non licere parochi exigere majorem eleemosynam ab externis tumulandis in Ecclesiis Regularium quam a civibus. n. 3485 ad 3 die 2. Augustii 1698.

Ad dubium: An Parochis caeterisque ecclesiasticis associantibus cadavera ad Ecclesias Regul. liceat exigere pro dicta associatione majorem eleemosynam et emolumentum seu potius illud dari solitum occasione associationis faciendae ad Ecclesiam? S. C. resp.: Negative ad primam, affirmative ad secundam partem. n. 4316 ad 5 die 7. Maji 1763.

ELEVATIO.

1) Manuum in benedictione.

Vd.: *Benedictio Sacerdotis extra missam* (decr. n. 4782 nota).

2) Oculorum.

Ad dubium: Denegatur ab aliquibus Ecclesiasticis obligatio Crucem adspiciendi, dum a Rubrica Sacerdoti celebranti injungitur in Missa oculorum elevatio. Quid dicendum de hujusmodi opinione?

Et S. eadem C. . . . rescripsit:

„Juxta Rubricas in elevatione oculorum Crucem esse aspiciendam“.

Atque ita rescripsit declaravitque n. 5121 ad 3 die 22 (?) 1848.

3) SS. Sacramenti.

a) Cantus in missa ad elev. SSmi.

Ad dubium: An in elevat. SS. Sacramenti in missis sol. cani possit *Tantum ergo* vel aliqua antiphona

tanti Sacramenti propria? S. C. resp.: Affirmative et amplius. die 14. Apr. 1753 ad 6.

b) Genuflexio.

Vd.: *SS. Sacrament.; Fundia; Sacerdos inhabilis.*

ELIAS.

1) Color paramentorum.

In Officio et missa s. Eliae prophetae adhibendus est color albus. n. 4369 die 11. Decb. 1773.

2) Officium.

Quando sexta dies Martii cadat in Sabbatum quatuor temp. vernal. una cum Officio s. Eliae, non est in fine missae legendum Evang. Ferae, quod idem est ac Evangelium festi; sed in Laud. sicut et in missa habebitur ejus commemor. cum suis antiphonis et oratione; ommissa tamen ejus homilia pro nona Lectione. n. 4367 die 4. Sept. 1773.

3) Praefatio.

Ad Preces R. Prioris Gener. Ord. Carmel. Calceator., ut approbare dignaretur S. R. C. Praefationem propriam in hon. s. Eliae Proph., S. C. resp.: Negative. n. 4901 ad 2 die 12. Sept. 1840.

S. ELISABETH V.

(*Officium.*)

Cf.: *Dedicatio Basilicae s. Petri; Sancti ad libit.*

Officium proprium s. Elisabethae ex Indulto Urbani VIII. editum et in Breviario rom. appositum potest et debet a fratribus minor. recitari et in eorum Breviario apponi. n. 2284 ad 5 die 12. Julii 1664.

Ad dubium: An de s. Elisab. (reg. Port. vid.) quando fit ejus Officium ad libitum, debeat fieri cum suis hymnis et antiphonis propriis, an sufficiat fieri tantum de communi cum primis lectionibus de Scriptura? S. C. resp.: Affirmative, nimirum: quod fiat cum suis hymnis et antiphonis ppr. n. 3244 ad 9 die 11. Aug. 1691.

EPIPHANIA.

1) Dies octava.

Vd.: *Protektor civit.*; *Dominicae post Epiphaniam*; *Patronus civit.* (Missa sol.)

Cadente festo s. Hilarii protectoris principalis civitatis Parmen in die octava Epiphaniae, *Officium* esse faciendum de octava; missas vero posse recitari duas, unam de festo, alteram de octava. n. 2311 die 24. Jan. 1665.

2) Festorum publicatio.

Festa mobilia in Epiphania Domini publicare pertinet ad Canonicum juniorem. n. 336 die 16. Jan. 1607.

Canonici Metropol. Capuae in die Epiphaniae tenentur annuntiare populo festa mobilia. n. 4059 ad 6 die 3. Aug. 1737.

3) Festorum translatio.

Ab octava Epiphaniae omnia duplicia excludi praeter ea, quae sunt primae Classis, nempe Titularis et Patroni *principalis* ac Dedicacionis Ecclesiae; propterea in civitate Asculana Officium de s. Leone, patrono minus principali, transferendum esse. n. 2080 die 20. Novb. 1660.

Ad relationem: Celebravimus hactenus in Cathedrali Viennen. in Austria octava die Januarii infra octavam Epiph. festum s. Severini abbatis sub ritu dupl. maj. tamquam Patroni *minus princip.* ejusdem Ecclesiae? S. C. resp.: Festum s. Severini esse

transferendum. n. 3664 ad 4 die 22. Sept. 1703.

4) Vigiliae.

Vd.: *Vigilia Epiphaniae.*

EPISCOPUS.

1) Accessus ad Ecclesiam Cathedral.

a) Associatio Canoniorum.

Cf.: *Episcop.* (Officii initium); *Canonici*, (habit. in assoc. Episcopi); *Visitatio*; *Magistratus* (praes. etc.); *Aspersorii porrectio in Colleg.* — *praes. Capit.* (decr. n. 3340); *Suffragan.* (access.); *Cappa*; *Caeremon.* (indicit Episcopo etc.); *Ecce Sacerdos magnus*; *Episcopus Administrator*; *Episcopus* (associatio).

Non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates et Canonici eum ex Palatio excipere et comitare ac reducere tenentur sed in *solemnibus* tantum diebus, quando ad Ecclesiam *cum cappa* ad celebrandum vel Pontificalia exercendum accedit. In caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, si aliqui ex Dignitatibus et Canonici et ad ostium Ecclesiae occurrant et in reditu eundem usque ad ostium similiter comitentur. n. 333 die 16. Decb. 1606; n. 2415 die 23. Julii 1667.

Episcopus tenetur praenuntiare Canonici per diem ante, quando intendit celebrare in Pontificalibus. n. 1008 ad 3 die 9. Decb. 1634.

Condicta hora cum Episcopo pro inchoando Officio et dato signo cum campana, Canonici accedere tenentur ad cubiculum, ut illum excipiant et associent ad Ecclesiam. n. 1565 ad 2 die 13. Sept. 1646; n. 1567 ad 7 die 13. Sept. 1646; n. 2807 die 14. Novb. 1676.

Canonici exspectare debent in *aula* adventum Episcopi, quem oportet esse discretum. n. 1944 ad 1 die 7. Decb. 1658; n. 3028 ad 3 die 24. Julii 1683; n. 3103 ad 4 die 23. Mart. 1686.

Quando Episcopus ad Ecclesiam cum cappa pontificali accedit, ut solemniter celebret, vel ut assistat divinis officiis, concioni aut processioni, vel ut aliud quidquam ex Pontificalibus exerceat, Dignitates, Canonici et Capitulum debent ad cubiculum accedere, ubi Episcopus induitur cappa; in reditu debent etiam saltem usque ad ostium domus Episcopum associare.

Episcopo vero *privatim* venienti, id est *sine cappa* pontificali, nonnulli ex Dignitatibus et Canonici *ad ostium Ecclesiae* occurrere, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiae ipsum comitare debent. n. 21 ad 3 et ejusdem num. infra ad 3 et 4 die 23. Mart. 1592; n. 60 die 3. Aug. 1593; n. 87 die 24. Jan. 1594; n. 851 ad 3 die 16. Febr. 1630; n. 1375 ad 3 die 10. Maji 1642; n. 2144 die 21. Jan. 1662; n. 2249 die 4. Aug. 1663; n. 4103 ad 1 die 10. Decb. 1740.

Episcopum venientem *cum cappa* semper excipi debere a Canonici in habitu canonicali in aula suae habitationis seu alio loco per ipsum ad hoc destinato, eumque associari ad Ecclesiam et abeuntem pari modo reduci ad locum, ubi exceptus fuit, non obstante, quod Palatium distet ab Ecclesia; venientem vero sine cappa et Canonici in choro divinas horas recitantibus, satis esse, quod a quatuor vel quinque de Capitulo in *ostio* Ecclesiae excipiatur. — Episcopum venientem ad Ecclesiam *extra tempus communis existentiae Canoniorum in Ecclesia* semper excipi debere a Canonici in Ecclesia existentibus in *ostio* Ecclesiae, eique Ecclesiam ingredienti a digniore Aspersorium ministrari. — Episcopum a Canonici excipi debere in Capella vel alio loco, ubi missam privatam celebravit vel alias functiones exercuit et ab iisdem associari in choro vel in alio loco (missam cantandam audiendi vel prae-

dicationis causa). n. 945 ad 1—3 die 6. Decb. 1631.

Satis esse, quod Episcopo, dum divina Officia cantantur, occurrant ad ostium Ecclesiae quatuor ex Canonici, dummodo in choro remaneant Canonici in majori numero. n. 1008 ad 2 die 9. Decb. 1634.

Non debere Canonici excipere Episcopum de cubiculo, dum ad Ecclesiam accedit, ut divinis Officiis intersit, nisi quando incedit *cum cappa*; si vero *cum rocchetto* et *Mozzetta* accedat, satis esse ut per Canonicos excipiatur ad portam Ecclesiae. n. 1567 ad 4 et 8 die 13. Sept. 1646.

Canonici non tenentur ad Episcopum cubiculum accedere, nec ipsum sine pontificali cappa existentem associare. n. 133 ad 9 die 2. Sept. 1597.

Nullam Dignitatem, Canonicum aliamve personam propria auctoritate vel vigore cujusvis consuetudinis ad latus Episcopi vel cappa pontificali vel sacris vestibus induti, incedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit; ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat. n. 21 ad 4 et ejusdem num. infra 5; die 23. Mart. 1592.

Cf.: *Diaconi assistentes.*

Immemorabilem consuetudinem, ita ut Archiepiscopus duos Canonicos assistentes hinc inde apud se habeat per viam, dum ex domo ad Ecclesiam procedit, servandam esse. n. 379 die 10. Maji 1608; n. 414 die 24. Oct. 1609.

Non convenire Laicos cum Episcopo simul incedere, maxime in Processionibus. n. 541 ad 2 die 3. Junii 1617; n. 3878 ad 4 die 11. Maji 1715.

Neque ullam Episcopo, dum capitulariter associatus ad Ecclesiam *cum cappa* progreditur, assistentiam deberi. n. 593 die 30. Mart. 1621; n. 3468 die 19. Apr. 1698 cum append.: „secus vero quando est cum paramentis s.“